



## **Forum Ecclesiasticum**

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

**Leuren, Peter**

**Moguntiae, 1720**

Quæst. 283. Quinam sit Judex competens in causa adulterii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

propter nuptias, certum est, Farin. *in praxi crim.* p. 5. q. 141. num. 104. Sanch. *L. 10. de mat. d. 8. n. 33.* Pirh. *l. c.* & sicut marito, sic & uxori competere ex Adulterio viri actionem injuriarum, cum non minus ex Adulterio viri injuriam patiat, tenent Bald. *in L. 1. c. ad Leg. Jul. de Adult. num. 3.* Brunnem, *ibid. n. 2.* Farin. *l. c. n. 106.* quos citat & sequitur Wiestn. *h. t. n. 48.* Jure tamen civili virum de Adulterio tam cum soluta, quam cum conjugata habito accusare nequit, *cit. L. 1. c. ad Leg. Jul. de Adult. Gl. ibid. v. violatio.* Hoff. *in sum. h. t. n. 1.* Covar. p. 2. de spons. c. 7. §. 6. num. 5. Farin. *cit. num. 104.* Sanch. & Pirh. *ll. cit.* ratio communiter datur, tum quod uxor majorem reverentiam debeat viro, tanquam capiti suo, quam is illi; tum quod Adulterium in uxore gravius crimen reputetur, & à jure puniatur, ob incertitudinem & suppositionem prolis, ut Tiraq. *Connub. Gl. §. p. 1. n. 44.* Unde & uxori criminaliter acculata, similis criminis à marito commissi exceptio denegatur, Covar. *l. c.* Sanch. *l. c. n. 34.* Soto *in 4. dist. 37. q. unic. a. 3.* Jus verò canonicum hoc discrimen non agnoscit, sed juxta illud uxor quoque criminaliter virum de Adulterio accusare potest, *c. fin. 32. q. 5.* & Arg. *c. si quis. 32. q. 1.* juncta *Gl. v. ad imparia.* ubi ait: Vir & uxor in Adulterio deprehensi non quò ad imparia judicantur, quò ad debitum reddendum, divortium & accusationem, in quo SS. Canones imitari non dedignantur Constitutiones Imperiales, dum accusationem criminalem mariti uxori expressè permittit Carolus V. in sua *Const. penali. à 120.* Welenb. *in ff. ad Leg. Jul. n. 12.* Brunnem. *in cit. L. 1. n. 4.*

**Quest. 281. Quinam accusari possint de Adulterio?**

**R**esp. Omnes hujus criminis rei vel reæ, minores, senes, Clerici, Nobiles, & in dignitate constituti de hoc crimine accusari possunt, ita, ut loci, in quibus pœna hujus criminis est capitalis, non sint immunes ab accusatione, *Carpz. pr. crim. q. 62. n. 1. §. seq.* & sic accusari possunt tam adulter, quam adultera, modò sciverint utrumque eum vel eam, cum quo vel qua scortatus vel scortata est, esse alterius conjugem. Hinc, si mulier ab aliquo decepta, putans esse illum maritum suum, carnaliter cognoscatur, vel credens maritum suum mortuum, cum alio contrahat nuptias, non potest accusari tanquam adultera; idemque est de eo, qui cognoscit fœminam, quam ignorat esse nuptam, Farin. *l. c. n. 97.* Extenditur hoc ipsum, quòd accusari possit adultera, & puniri, primò ad publicam meretricem conjugatam, *L. si uxor. §. sed etsi ea. ff. h. t. & ibi. Gl. v. vulgaris.* Pirh. *h. t. n. 9.* & alii plures apud Farinac. *l. c. n. 84.* contra Clarum, §. *Adulterium. n. 3.* dicentem, quòd etiam quòd ad mulierem talem meretricem publicam cesset pœna Adulterii, adeòque & criminalis accusatio Adulterii, non obstante, quòd *L. si ea. c. b. t.* dicitur: *Adulterii crimen cum meretrice cessare,* cum ibi Adulterium accipiatur pro Stupro, juxta *Gl. ibid. v. Adulterii.* virum tamen conjugatam accedentem ad talem publicam meretricem conjugatam non posse accusari & puniri tanquam reum Adulterii, eò, quòd non videatur violasse thorum alienum, ubi nullus est thori pudor & respectus, sed promiscua & vulgaris marito connivente turpitudine, tradit Pirh. *l. c.* cum Welenb. *l. c. n. 6.* Farin. *l. c. n. 82.* ubi dicit, sic hodie in praxi servari. Extenditur secundò: ut non solum accusari possint, qui mœchantur, sed etiam, qui quâvis

ratione quæstum ex Adulterio faciunt, exercendo lenocinium, seu prostituendo uxorem suam, vel scienter domum præbendo, ad committendum in ea Adulterium, *L. qui domum. L. mariti. §. qui quæstum. ff. h. t.*

**Quest. 282. Intra quod tempus accusatio Adulterii instituenda?**

**R**esp. Maritus jure speciali mariti accusare potest uxorem Adulterii intra 60. dies utiles computandos à tempore facti divortii, seu matrimonii soluti per divortium, *L. jure. c. h. t. L. non solum. c. eod. & ibi Gl. v. in dissolutione.* Idem tempus dierum 60. concessum patri, quòd tamen illi non currit, dum maritus accusat, si verò uterque, tam maritus, quam pater differat accusare, utriusque hoc tempus currit, *L. si maritus. ff. h. t.* post elapsos verò illos 60. dies admittuntur etiam extranei (& inter hos etiam maritus & pater, si privilegium 60. dierum neglexerint, sed jure extranei) intra quatuor menses utiles, *cit. L. si maritus. §. 1. L. miles. §. sexaginta dies. ff. h. t. ita Pirh. n. 8.* De cætero, etsi crimina non præscribantur regulariter minore tempore, quam 20. annorum, accusatio tamen Adulterii (intellige simplicis) præscribitur quinquennio, *Clar. L. §. §. Adulterium. juxta L. mariti. ff. h. t.* Adulterii verò conjuncti cum incestu non nisi 20. annis, sicut & cætera crimina.

**Quest. 283. Quisnam sit Judex competens in causa Adulterii?**

**1. R**esp. Primò: Si agatur criminaliter quòd ad pœnam sanguinis, seu mortis, solus Laicus est Judex competens in hac causa; est communis & certa, quia Judex ecclesiasticus causam sanguinis tractare, & in ea sententiam ferre nequit juxta textum expressum, *c. penult. ne Clerici vel Monachi.*

**2. R**esp. Secundò: Si verò agitur criminaliter quidem; seu ad vindictam publicam, quòd ad alias pœnas, Adulterium est crimen mixti fori, & spectat ad utrumque Judicem, tam ecclesiasticum, (etiam quo ad Laicos) quam sæcularem, daturque inter eos locus præventioni, *Abb. inc. tua. de procur. n. 6.* Imol. *ibid. n. 10.* Clar. *§. fin. q. 37. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 10.* cum communi. Et quidem de ecclesiastico Judice est textus, *c. 1. de off. Jud. ordin. de Laico* constat ex *c. tua. de utroque ex c. cum sit. de foro comp.* ubi utriusque, tam Laico, quam Ecclesiastico datur jurisdictio in Sacrilegos; Adulterium autem, utpote inferens injuriam Sacramento, est & dicitur Sacrilegium, *L. quamvis. c. ad Leg. Jul. de Adulterio.*

**3. R**esp. Tertio: Si agatur civiliter in ordine nempe ad divortium, seu separationem thori solus Judex ecclesiasticus est competens. Covar. *in 4. Decret. c. 7. §. 6. n. 8.* Clar. *l. c.* Sanch. *de mat. L. 10. d. 8. n. 15.* Pirh. *l. c.* juxta *c. tua. §. si verò. c. 1. ut lite non contest. c. plerumque. de donat. inter vir. & mul. & ibi Alex.* Sicut enim, quando agitur de valore matrimonii, ad solum Judicem ecclesiasticum spectat desuper cognoscere ob rationem Sacramenti, ita etiam, dum agitur de causis dissolvendi illud, quòd ad thorum, dum autem agitur principaliter in ordine ad divortium instituendum coram Judice ecclesiastico, ad eum quoque spectat cognoscere de dote amittenda, Pirh. *l. c.* Reiffenst. *n. 40.* cum, qui cognovit de causa principali, cognoscere quoque debeat aut possit de accessorio, seu incidente in causam principalem, etsi aliàs respectu hujus Judex competens non esset, *L. quories. c. de Judic.*

L. 1. c. de ordine cognit. c. prudentia. de donat. inter vir. & mul.

*Quaest. 284. Qualiter iudex in causa adulterii procedere possit, & qualiter finito uno iudicio ad aliud procedi possit?*

**I. Resp.** Ad primum: Potest quoque iudex in hac causa procedere vel per viam inquisitionis non secus ac in aliis criminibus, dum habitis legitimis causis ex officio inquirat in delinquentem, ad specialem etiam inquisitionem delicti transeuntis, quale esse videtur adulterium, sufficientia indicia sufficientia, sed ut cautè procedat, & non ex remotis, monet Lauterb. l. c. n. 11. ex Bocero, vel per viam accusationis, dum nimirum iudex accusatione requisitus suum officium exercet.

**2. Resp.** Ad secundum: quod hic incidenter notandum, finito uno iudicio v. g. criminali, de adulterio, non potest procedi ad aliud civiliter instituendum. Sic postquam quis contra uxorem adulteram instituerit actionem criminalem ad publicam ejus punitionem, eo iudicio deserto, aut etiam finito, non potest contra eam agere civiliter ad divorcium instituendum, aut ad amissionem dotis, vel donationis propter nuptias, uti è contra finito Iudicio Civili, non potest uxor virum accusare criminaliter, quia decens non est, nec æquum, ut aliquis postulet idem delictum bis puniri. Abb. in cir. c. 2. n. 5. & in c. de his. de accus. n. 6. Sanch. cir. d. 2. n. 19. Pirh. h. t. n. 11. Arg. l. interdum. ff. de jud. publ. Aliud tamen est, dum actio civilis directè tendit ad interessè seu jacturam rei familiaris compensandam; ea enim non præjudicat actioni criminali, quò minus uno iudicio finito alterum institui possit, juxta l. unic. c. quomodo. Civil. act. præjud. Crim. utriusque tamen intentari nequit æquè principaliter in eodem iudicio; bene tamen intentari potest actio criminalis principaliter, & simul accessoriè peti, ut damnum rei familiaris sibi compensetur. Clar. in pract. Crim. q. 2. n. 21. Mol. de just. tr. 3. d. 4. n. 19. Sanch. Pirh. h. t. cit.

*Quaest. 285. Qualis requiratur & sufficiat probatio ad condemnandum reum adulterii?*

**I. Resp.** Quamvis aliàs in criminibus ad condemnandum reum requiratur, ut sit vel confessus vel per probationes luce meridianà clariores convictus, juxta Can. iudex. & Can. multi. §. nos verò. 2. q. 1. l. fin. de probat. in adulterio tamen tanta probatio non est necessaria, sed sufficit & requiritur talis probatio, quæ contra reum facit suspicionem vel præsumptionem, non qualemcunque, sed violentam & vehementissimè urgentem, seu facientem certitudinem moralem, quæ virum prudentissimum inducere potest ad iudicandum patratum esse adulterium. Sylv. v. adulterium. n. 9. Mascard. de probat. concl. 57. n. 3. Menoch. de præsumpt. l. 1. præsumpt. § 8. n. 3. Sanch. de matrim. l. 10. d. 12. n. 41. & 4. Pirh. n. 12. Arg. c. maritis. h. t. ex ea ratione, quòd cum adulterium in occulto remotis arbitris & testibus ita cautè fieri soleat, ut per testes vel documenta aut instrumenta probari nequeat, necessè est adhiberi & debent probationes alias, nimirum per conjecturas, indicia, præsumptiones factas, ne aliàs hoc grande & frequens crimen maneat impunitum, adeoque, dum illa sunt vehementia, sufficiunt ad probandum hoc crimen, non

secus ac in aliis delictis difficultioris probationis, juxta c. 2. & 12. de præsumpt.

**2.** Porro istiusmodi præsumptiones & indicia alia sunt & dicuntur certa vel ex ipsa natura, quæ ex principiis naturalibus necessariò rem factam esse demonstrant, & eandem vim ac testium depositiones aut apertissima documenta habent, l. fin. c. de prob. l. 19. c. de R. P. Bocet. tr. de adult. c. 4. n. 4. & seq. tale indicium est, dum uxor, viro per annum graviter decumbente, aut annis aliquot à domo absente, à reverso gravida reperitur. l. 6. ff. de his, qui sui vel alien. jur. vel ex legis & juris dispositione per præsumptionem juris & de jure, qualem nimirum lex ex certis causis non tantum approbat, sed simul disponit, ut pro veritate habeatur, v. g. si duo adulterii accusati excipiant, se ea familiaritate usos esse jure consanguinitatis, cujus religione nemo adulterium committere velle præsumitur, sed antequam ab ea suspicione absoluti fuerint, matrimonium inter se contraxerint l. 3. c. ad Leg. Jul. de adult. potèstque vi hujus præsumptionis juris & de jure etiam ultimum supplicium infetri, ubi illud statutum in pœnam adulterii. Menoch. de præsumpt. l. 5. præsumpt. 41. n. 7. & 8. Speculat. de præsumpt. §. 2. n. 4. Pirh. h. t. n. 13. item talis præsumptio de adulterio juris & de jure ad pœnam capitalem adulterii infligendam sufficiens est, si maritus ter alicui denunciaverit, & præsentibus tribus testibus, ne cum sua uxore esset, eamque alloqueretur, & tamen de novo cum illa esse eique colloqui deprehendatur in loco ad adulterium apto. auth. si quis et. c. h. t. Menoch. l. c. n. 9. & 10. Pirh. l. c.

**3.** Alia sunt indicia verisimilia, ex quibus adulterium arguitur, non tamen semper, ideòque pro veritate non habentur, nec destituta aliis adminiculis sufficiunt ad pœnam ordinariam, bene tamen ad extraordinariam, si plura eorum concurrant, Menoch. cir. præsumpt. 41. à n. 21. talia sunt, si uxor incio & invito marito suo clam accedat ad domum viri suspecti; ibique pernoctet, ex quo tamen argui nequit adulterium, si causas alias pernoctandi, vel alias mulieris honestas & pudicas socias habuit. Menoch. l. c. n. 22. Pirh. n. 14. item, si domus mulieris diu noctuque ab adolescentibus, præsertim Scholasticis, frequenterur. Menoch. n. 21. Pirh. l. c. item, si solus cum sola, nudus cum nuda in eadem lecto inveniatur, ita ut in certis circumstantiis id ipsum non sufficiat pro violenta præsumptione adulterii vel fornicationis. Pirh. n. 14. in fine, vel etiam solus cum sola in loco secreto & abdito, præsertim viro habente solutas caligas, & muliere renuente aperire ostium deprehendatur. Menoch. cir. præsumpt. 21. n. 11. Pirh. n. 3. item si se amplectantur & osculentur; quam tamen suspicionem probabilem, non violentam, nisi aliæ circumstantiæ concurrant, facere, sentent Menoch. n. 26. Sanch. de mar. l. 10. d. 12. n. 45. & seq. Pirh. l. c. cum amplexus & oscula præparatoria solum ad adulterium, & futurum, non præteritum arguant, ut iidem. Item, si reperiantur literæ amatoriæ concubitus consentientes, quales tamen literæ & confessio extrajudicialis mulieris, etsi non probent plenè contra eam adulterium, faciunt tamen indicium ad torturam sufficiens, & licèt talis confessio proprii delicti facta in iudicio probet plenè contra consentientem. c. intelleximus. h. t. non tamen plenè probat contra complicem, cum nulli de se confessio adversus alium in eodem crimine sit credendum, c. nesciens. de testib. c. 1. de confess. gl. in e. significasti. h. t. v. imponens. Abb. ibid. n. 4. de cetero